



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 10. Canonizatione culti Sancti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

tatis famam, regi Xerxi non ignotus, facile ab eo impetrauit, vt ex Babylone populares suos secum migrare volentes in Palæstinam deduceret.

§. X.

Canonizatione culti Sancti.

Longè autem maior honoris gradus debetur ijs, qui post mortem in numerum Sanctorum sunt relati, neque amplius excidere possunt. Non quòd eos vt Deos adoremus, sed vt tamquam amicos Dei debito cultu, quem duliam vocamus, veneremur. Apud Plinium, vt mortales bene meriti inter deos referantur, mos est adeò vetus, vt pænè nihil sit eo antiquius. *Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, inquit, vt tales numinibus ascribantur.* Ad hunc errorem corrigendum, atque in ritum meliorem mutandù, ab Ecclesia instituta est *canonizatio Sanctorum.* Hinc Pontifices Romani, ad memoriam martyrum, annua festa & sacra instituerunt, quod aliud non fuit, nisi testari, eos fuisse sanctos. *Verùm postremò, vt ne vnusquisq; arbitrato suo hunc vel illum pro diuo haberet, coleretue, Alexander III. statuit, vt nulli mortalium talis in terris honor haberetur publicè, nisi illi, qui prius*

Plin. lib.
2, cap. 7.

ex edicto Apostolico in diuorum esset catalogum ascriptus. Hoc decretum inter decretales epistolas, in titulo de reliquijs Sanctorum scriptum.

Ritius l. 3.
Platina.
Bonfin.
h. 1. Dec. 2.

leges. Ad hunc modum, inquisitione diligenter facta in vitam & miracula, relati sunt in numerum Sanctorum Dominicus Anno 53. Imperij Alphonsi: Franciscus à Gregorio IX. vti & Elisabetha regis Hungariæ filia: Clara ab Alexandro IV. Stephanus & Ladislaus Vngariæ reges, Stanislaus Cracouiensis Episcopus, & alij ab alijs. A Ioanne XXIII. Thomas Herfordensis Episcopus, & Thomas de Aquino: Bonauentura à Sixto IV. Bernardinus Senensis à Nicolao V. Vincentius à Callisto III. vti & Edmundus Anglicus: Nicolaus Tolentinas ab Eugenio IV. Benno ab Hadriano VI. & ne numerus fiat sine numero, Ignatius Loyola, & Franciscus Xauerius, cum Philippo Nerio, Isidoro, & Theresia, à Gregorio XV. Quæ consecratio Pontificis totius Ecclesiæ approbatione facta, tantò plurius facienda est, quia neque Pontifex tamquam caput Ecclesiæ, publica authoritate aliquid decernens, neque tota Ecclesia aliquid credens, aut credendum proponens, errare potest.

§. XI.

*Varijs modis, sed maxime inuocatione Sanctos
honerari.*

Hanc consecrationem alij deinde, atque Sabelli
alij sequuntur honores, imagines, aræ, ora- l. 10, c. 14.
toria, sacella, templa, festi & solennes dies,
ieiunia, vigiliæ, & omnifariâ factæ ceremo-
niæ, quas Christo regi, & sacratissimæ eius
militiæ decernit humana pietas; quæ tantò
sunt ceteris honoribus, qui in terris decer-
nuntur, maiores sanctioresque, quantò san-
ctior illorum fuit vita, quàm reliquorum
hominum, qui omni æu floruerunt. Tem-
pla Sanctis erecta, testantur Romæ Basili-
ca D. Petro in Vaticano & Ostiensi via, &
altera D. Paulo, vtraque immani amplitu-
dine & apparatu visendo consecrata, item-
que tertia Lateranensis Ioanni Baptistæ; &
quarta Pantheon antea dicta, postea DE I
Matri Mariæ, aliæque alijs Diuis, & Ro-
mæ, & vbique gentium & terrarum dedi-
cata. Neque sanè festa Sanctorum aliò re-
spiciunt, quàm vt ijs diebus præcipua qua-
dam veneratione colantur, enimuerò, vt
tamquam patroni & aduocati nostri inuo-
centur. Quod à nobis faciendum esse, an-
tiqui PP. Nectarius, Ephræm, Nazianze-
rus,